



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Avrea Gemma Christianorvm

Ruben, Leonhard

Paderbornae, 1604

Ad pastores & co[n]cionatores auctoris admonitio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68313)



AD PASTORES
ET CONCIONATORES
AVCTORIS ADMO.

NITIO.

*RATIO INVENIENDI MA-
teriam in hoc opusculo de singulis Evan-
gelijs per annum occurren-
tibus.*

Habetis, optimi Pastores, in hac
Heb. 13. 20. Aurea Christianorum Gemma,
1. Pet. 5. 4. magnum pastorem ouium, atq; adeò
principem pastorum & Agnù ab ori-
Apoc. 13. 8. gine mundi occisum, qui solus dignus
inuentus est ex his, qui sunt in cælo &
in terra & subtus terram accipere de
Apoc. 5. 1.
2. 3. 4. &c. dextra sedētis in Throno librum scri-
ptum intus & foris signatum sigillis
septem, & soluere signacula eius, quæ
septem hisce de Christo libris comple-
xi sumus, ita, vt nullum per anni cur-
riculum Euangelium occurrat, in quo
non vel Diuinitatis illius fiat mentio,
in qua ad librum primum recurre, vel
humanæ naturæ assumptæ, de qua vi-
de omnia libro secundo, vt maxime
sunt

sunt Incarnationis, & Natiuitatis Chri-
sti festa, & Dominicæ circa easdem fe-
stiuitates occurrentes, & festa Deipa-
ræ Virginis. Si verò de qualitatibus
Christi agitur, reuolue librum ter-
tium. Si de S. Ioanne Baptista fiat
mentio, vt maximè in Aduentu, & de
ijs, quæ à Christo Domino gesta sunt
ab anno ætatis trigelimo vsq; ad pas-
sionem, tam in miraculis patrandis,
quàm peccatoribus ad viam iustitię re-
uocandis, liber quartus legendus e-
rit. Si de varijs Christo illatis iniurijs
& passione Euangelium erit, quintus
liber omnem dicendi occasionem o-
stendet. A Resurrectione Domini-
ca ad festum S. Trinitatis omnia penè
Euangelia continent libri duo postre-
mi, sextus & septimus. De reliquo
me meosq; vltiores in re Ecclesiasti-
cam & Theologicam conatus, arden-
tissimis apud Deum Optimum Maxi-
mum precibus vestris, & publicis ex
Cathedris vestris pro me petitis ouiu
vestrarum suffragijs, rogo commea-
datos habete, quoad omnes tandem
occurramus in vnitatem fidei & agni-
tionis filij Dei in virum perfe-

ctum, in mensuram ætatis

& plenitudinis

CHRISTI.



Ephes. 4.
13.